

1

DE REPUBLICA HELVETIORVM LIBER PRIMVS.



VM inter liberas Respublicas, quæ non vnus principis imperio reguntur, nostra ætate multorum iudicio post Venetam primas partes teneat Heluetica, sæpe audiui exteros homines quærentes, quæ nam sit huius Reipub. forma ac ratio: quòd illis mirum videretur tot populos fœdere factò in vnam quasi ciuitatem ita breui potuisse coalescere, & tot annis in eadem constanter & concorditer perdurare. Athenienses enim, quorum in Græcia celeberrima fuit ciuitas, ex compluribus populis & oppidis à Theseo non tantum in vnam ciuitatem, sed in vnam quoque urbem collecti fuerunt. Achæorum autem Resp. quæ duodecim constabat urbibus, neque diuturna, neque potens fuit, sed sub Arato & Philopœmene florens, breui post in seruitutem à Romanis, cum sua libertate abuteretur, redacta est. Israelitarum Resp. post Iosuei mortem, sua culpa crebris hostium direptionibus exposita, diuinitus quidem excitatis heroicis viris aliquoties liberata fuit, sed tandem vltro monarcham duodecim

DE REP. HELVETIORVM

illi populi sibi elegerunt, suæ libertatis pertasi. Auorum autem memoria cum Friderico Augusto auctore & principe, Sueuicæ vrbes fœdus fecissent, magna initio apud omnes eius fœderis fama fuit & opinio, verum bello aduersus Heluetios temere suscepto, & infeliciter gesto, multum existimationi eius decessit, quam tamen pulso duce Vuirtembergico, & arcibus prædatorum tota Sueuia disiectis, recuperasse videbantur, nisi paulo post finito præscripto tempore fœderis, ita statim in diuersum abiissent, ut quos ante hostium loco habuerant ijs ut amicis, & veteribus amicis & fœderatis, hostium penè loco vsi fuissent. Ita hominum memoria fœdus illud cœpit, & in nihilum abiit. Cæterum Heluetiorum plures quidem sunt populi, & vrbes non pauca, vna nihilominus est ciuitas, vna Respublica, de quo tamen à doctis dubitari video: existimant enim apud nos imperij nullam societatem & coniunctionem esse, ideoque vnâ rempublicam dici non posse: singulas enim ciuitates aliarum decretis non aliter obligari, quàm si sponte assentiatur: ut in pactis sociorum priuatis, atqui in eadem republica, quod pluribus placuit, omnes obligat. Nos cum his disputare nolumus, ac in genuè fatemur, si exactè singula perpendantur, ita se rem habere ut ipsi asserunt: sed quoniam vnum est totius gentis concilium, & communi imperio prouincia

uincias plerasq; administrant, de pace & bello omnes simul statuunt, & præterea leges & consuetudines ferè easdem habent, atq; pactis perpetuis ad eò arctè deuincti sunt, vt si non sit vna respublica, saltem quam proximè ad vnius reipublicæ formam accedant, nos qui rudius de his rebus scribimus & loquimur, illam societatem fœderis Heluetici ciuitatem & rempublicam Heluetiorum nominabimus. Hæc igitur fœderibus perpetuis constituta ciuitas Heluetica, iam supra ducentos annos patriam libertatem summa concordia & animorum incredibili consensu tutata est. Quamuis enim semel atque iterum (quod in omnibus ferè magnis Rebuspub. fieri solet) inter ipsos ciuilia bella exorta sint, tamen breui pace facta, omnium animi sincero amore rursus coaluerunt, & veteri studio patriam libertatem tueri semper parati fuerunt. Sunt tamen nonnulli, qui odio ingenti gentis Helueticæ, nimis impudenter anarchiam nobis obijciunt, ac maiores nostros, cæsis aut in ordinem reductis nobilibus, sese in hanc libertatem præter ius & æquum vendicasse aiunt: alij etsi agnoscunt grauib; nobilium iniurijs, & contumelijs maiores nostros ad arma prouocatos esse, ipsos tamen iustæ defensionis modum excessisse arbitrantur, vt ferè fit animis acrius irritatis. Quare vt & amicorum admirationi ex ignoratio-

DE REP. HELVETIORVM

ne rerum nostrarum ortæ satisfacerem, & inuidorum calumnias confutarem, existimaui me operæ precium facturum, si Helueticæ Reip. formam, origine eius paulo altius repetita, describerem.

Heluetiæ
partes.

Heluetia igitur vniuersa tribus hodie partibus constat: nam primùm tredecim populi quos Itali cantones, nos nostra lingua Ort, pagos nonnulli vertunt, in vnâ ciuitatem fœdere perpetuo coierunt, Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Suitia, Vnderualdia, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusum, & Abbatiscella: Secundum locum tenent horum socij atque confœderati, Abbas primùm & oppidum S. Galli: deinde Rætorum fœderati populi, Episcopus Sedunensis, et tota Valesianorum regio, Roteuila, Mulhusium, Bipennæ: Postremo loco sunt præfecturæ, quæ communi Helueticorum pagorum imperio reguntur, Turgea, Aquensis, Rbegusca, Sarunetum, & quæ nomen habet liberæ provinciæ: item Lugani, Locar-nenses, Mendrisiani, vallis Madix incolæ: quibus Bilitionenses fortè, etiam adiungere possumus, qui trium pagorum imperio parent. Inter confœderatos, vrbes & oppida sunt Tigurum, Berna, Lucerna, Tugium, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusum, S. Galli oppidum, Curia Rætorum, Sedunum Valesianorum, Roteuila, Mulhusium, Bipennæ:

DE REP. HELVETIORVM
FRIBVRGV M.

Friburgi
origo.

F R I B V R G V M oppidum ad Sanam fluium à Berchtoldo IIII. Zeringensium duce paucis annis ante Bernam conditum est, ambæq; ciuitates mutuam amicitiam diu coluere: cæterum à mortè Zeringij Berna imperio fuit obnoxia, Friburgum verò peruenit in potestatem comitum Kyburgiorum qui Burgdorffi habitabant, quæ res causa fuit vt sequentibus annis Bernatum amicitiam deseruerint. Etenim primùm cum Gottefrido Kyburgio contra Bernates militarunt: mox autem fœdus renouatum est & vtrinq; exceptione tamen addita, si Domini vrbis dissideant à Berna, vt cum dominorū suorum partes saluo fœdere sequantur. Postea à Kyburgio Friburgum venditum fuit Rodolpho Romanorum regi, ac deinceps sub Austriae domus imperio annis fere 200. mansit, quo tempore Austriorum ductu & auspicijs ad Loupam, in monte Schonenbergio & alibi pugnarunt: rursus etiam vetus amicitia & fœdus vtrinque aliquoties renouatum est. Anno autem 1403. multis contumelijs nobilitatis vexati perpetuum fœdus cum Bernatibus fecere, mansere nihilominus sub Austriorum imperio. Durauit amicitia hæc annos quinque &

Bella & rursus fœdera cum Bernensibus.

que & quadraginta, inde exorto bello inter Sabaudum principem & Friburgum, Bernates Sabaudi partes, cum quo illis vetus amicitia & foedus intercedebat, secuti sunt: vtrunque expeditiones aliquot susceptæ, semel ad Galteram pugnatum aduersa Friburgiorum fortuna: altero demum anno legati Regis Gallorum, Burgundiæ ducis, & Heluetiorum pacem fecere. Proximo anno à pace facta Albertus Austrius Friburgum venit, cum hoc quidam ciuium consilia inibant de bello aduersus Bernates suscipiendo, ceterum maior & sanior pars ciuitatis pacem bello anteferebat, & amicitiam initam constanter tuebatur, iamq; res ad seditionem spectabat, ac fortè inter ipsos ciues pugnatum fuisset, nisi Bernates missis legatis singulari prudentia & industria motum hunc populi sedassent. Cum igitur Austrius videret Friburgum Heluetijs fauere, & ad eorū partes inclinare, ciues quoq; qui maiorum suorum priuilegijs fruebantur, non per omnia imperijs suis parere, sæpe etiam Bernates ex foedere sequi & cum Heluetijs confœderatis militare, de vrbe diutius retinenda desperare cepit. Venit igitur Friburgum Austrij principis aulae magister, à principe vt fertur missus, hic fama per ciuitatem disseminata principem breui illuc venturum, omnis generis inaurata & argentea

DE REP. HELVETIORVM

vasa, aliaq; varij generis ornamenta corrogare. cœ-
 pit ad exornandam curiam vrbis, quo loco princeps
 dicebatur excipiendus esse, cæterum hæc omnia in-
 scijs ciuibus clam auhenda curabat. Constituto au-
 tem die quo princeps venturus dicebatur, cum suis
 principi in equis obuiam egreditur, ac ipsum nobi-
 lissimi quiq; ciuium sequebantur: longius vrbe pro-
 gressis, princeps quidem nusquam apparet, sed equi-
 tes ab illo missi aule magistrum eiusq; comites exci-
 piunt, is iam in tuto constitutus Friburgios qui ho-
 noris causa cum illo principi obuiam progressi fue-
 rant alloquitur, ipsos confisos fœdere Bernatum, &
 reliquorum confœderatorum amicitia, principis im-
 perata detrectare, æquum autē esse vt princeps quoq;
 aliquē ex ipsis fructū percipiat, & ob hanc causam
 se ea quæ corrogarit argentea vasa et ornāmēta illis
 abstulisse: atq; his dictis cum spolijs ciuium ad prin-
 cipem se contulit. Tanta iniuria affecti Friburgij
 arctiori fœdere Bernatibus coniuncti sunt, & cum
 cæteris cōfœderatis amicitiam certis conditionibus
 iunxere: itaq; bello Burgundico Heluetij mille ho-
 minum præsidium illis tuendæ vrbi misere, ipsi quoq;
 cum confœderatis aduersus Burgundum militarūt,
 & fortem fidelemq; operam eo bello Heluetijs præ-
 starunt, quo finito cum Salodorensibus in numerum
 pagorum, (vti mox dicemus) adscripti sunt.

DE REPUBLICA HELVETIORVM

LIBER SECVNDVS.

QVAE sint partes Helueticae reipublicae, & quas ob causas, quibusq; conditionibus in vnam ciuitatem certis foederibus conuenerint, quo item studio & labore libertatem suam defenderint, & à quibus populis & principibus in sociorum & amicorum numerum recepti sint, superiore libro exposuimus: deinceps ipsam reipublicae Helueticae formam & rationem describemus. Quia verò singuli populi foedere iuncti, suos magistratus & leges & peculiarem singuli rempub. habent, & praeterea vna quaedam est totius Heluetiae ciuitas, & commune totius gentis consilium, leges item & decreta publica quibus omnes tenentur, primùm de vniuersa ciuitate agam, deinde generatim pagorum respublicas describam. Porrò qui de republica scripsere, tres formas constituunt, vnam quando penes vnum aliquem est reipublicae omnis potestas & gubernatio, qui si volente populo secundum leges iuste imperat, Rex nominatur, sin aliter, tyrannus censetur: alteram quando penes paucos optimates im-

Q

DE REP. HELVETIORVM

Quæ sit forma reipub. Helueticæ.

perium est: tertiam quando totus populus imperium habet: ica vt sint tres rerum publicarum formæ, Regnum, Optimatum, & postremò populi imperium, quæ tamen vitiosas reipublicæ formas admodum similes habeant, tyrannidem, Oligarchiam quæ paucorum quasi tyrannis est, & populare imperium tumultus et anarchiæ plenum. Rempublicam verò communem totius Helueticæ ad nullam harum referre possumus, verùm vt olim Romanorum & Carthaginensium, amplissimæ respublicæ, & nostra ætate Veneta, mixtæ nominari possunt, quòd aliqua sui parte regiam potestatem, alia optimatum imperium exprimerent, et populum quoq; nõ prorsus à gubernaculis remouerent: sic Helueticorum respublica ex Optimatum & populi imperio mixta est. Etenim ex his populis quibus tota ciuitas constat, quidam merè Democratico imperio vtuntur, vbi totius plebis consilio fermè omnia aguntur, veluti in his pagis qui nulla habent oppida, vti sunt Vranij, Suitij, Vnderualdij, Glaronenses & Abbatiscellani: & par ratio est Tuginorum quamuis hi oppidum habeant: alij ab optimatibus reguntur, vt omnes vrbes Helueticæ, Tigurum, Berna, Lucerna, Basilea, Friburgum, Salodorum, Scaphusium: sed cum potestas summa penes populum sit à quo magistratus eliguntur, mixtæ sunt hæ respublicæ, & aliæ magis Aristocraticæ

tica, aliæ plus populares sunt. Quare cum tota ciui-
 tas constet his populis qui non vna eademq; reipub-
 licæ forma singuli vtuntur, non vna quoque sed mi-
 xta quædam est Politia quæ ex his conficitur. Et
 si enim legati qui in publicis conuentibus in com-
 mune reipublicæ Helueticæ consulunt, aut ius di-
 cunt, videntur Optimatum politiam constituere, ta-
 men cum plerique domi à populo deligantur, & in
 causis paulò maioris momenti non habeant liberam
 decernendi potestatem, sed omnia ex mandato po-
 puli agant, & ad eum de singulis referre cogan-
 tur, facile apparet, talem senatum non plenè Ari-
 stocraticum censi posse. Vt autem sic administre-
 tur communis respública Heluetica, omnino equis-
 simum esse videtur, nam libertas qua gaudent &
 fruuntur Heluetij, parta est à maioribus nostris
 non vnius aut paucorum consilio & opera, sed po-
 pulus cum in commune consuluit, tum etiam suo
 sumptu, labore, periculo libertatem sibi asseruit,
 itaque iustissimum est vt fructum aliquem suorum
 laborum capiant. Quod autem in populari republica
 incommodum & periculosum videtur, vt omnes sen-
 tentiam dicant, & non potius optimi quiq; et pruden-
 tissimi, id in hac nostra repub. periculo omni caret,
 nã ad conuentus hos plerunq; optimi et prudentissimi

DE REP. HELVETIORVM

quique ex singulis pagis mittuntur, qui etsi non habent plenam decernendi potestatem, id enim publicæ libertati graue & periculosum esset, tamen quasi πρόβουλοι quidam de grauisimis rebus sententias inter se conferunt, de quibus deinde suffragia domi populus ferat: possunt autem facile qui non prorsus stupidi aut improbi sunt, ea videre & probare que bene in publicum consulta sunt, si modò rectè proponantur.

BELLI ET PACIS STVDIA.

De studio
rei bellicæ.

Heluetij na-
tura milita-
res.

Quoniam verò omnis recta Reipublicæ gubernatio in bellicis muneribus & pacis functionibus cernitur, quantam vtriusque rei curam maiores nostri habuerint ostendam. Atque bellicæ rei studium cum natura inseuisset nostris hominibus videtur, tum ad id excolendum necessitas eos adiecit. Regio ipsa montana & multis locis aspera atque difficilis cultu, tum etiam olim magna sui parte siluestris & inculta, hominum genus non modò laboriosum sed asperum durumque alit, atque ideò militiæ optimū. Ceterum vti natura Europa bellicosiores populos et ferociosiores plerumque habet Asiaticis, ita in ipsa Europa qui regiones asperas montanas & frigiditas incolunt, bellicosiores alijs esse perhibentur. Idque te-
stantur

marginē legitur, Domestico bello omnes militant,
delendum, & ad faciem secundam sequentis paginæ
transferendum est. Ibid. v. 14. l. Publicis. Pag.
125. f. 2. v. 8. l. harschhörner. Pag. 131. v. 18. l.
Lacedæmonijs. Pag. 135. v. 18. l. Arbitror. Pag.
136. Quod hoc loco scribitur, à conuentu legatorum
in Italicis præfecturis Badam prouocari posse, id
quidam negant moris esse: sed aiunt prouocationem
fieri ad pagos, vt causæ singulis pagis proponantur.
Pag. 159. f. 2. Cum Respublicas vrbium quæ tribu
bus carent describerem, Friburgensis Reipub. de-
scriptionem nondum nactus eram, quam postea am-
plissimus eius vrbis consul ad nos misit, & nos in
Germanica editione singula ordine posuimus, hoc
etiam loco sequens descriptio inseri potest.

Friburgū Auenticorū in partes quatuor, sicut et
Bernæ, diuiditur, quarū vna à Burgo, altera ab insu-
la seu prato (in der Duw) tertia nouæ ciuitatis,
quarta à domo hospitali nomē habet: ex his partibus
deliguntur qui publicis consilijs præsent. Sunt autē
duo, vt in alijs vrbibus publica consilia, maius 200.
hominum: minus 24. Electio fit die dominica quæ
proximè festum D. Ioannis Baptistæ præcedit.
Administrantur autem à minore senatu res vrba-
næ, ac prouocationes subditorum audiuntur, præ-
terquam ex præfecturis Sabaudicis postremo bello
captis.

captis. Quæ autem ad totam Rempublicam perti-
nent, maximiq; sunt momenti, ad ducentos seu ma-
ius consilium referuntur. Consul qui vtrique con-
silio præsidet, ab vniuerso populo deligitur die Ioan-
ni Baptistæ sacra, ac fungitur hoc munere biennio.
Proximi à Consule sunt quatuor Signiferi, qui qua-
tuor partibus vrbis præsent, hi non sunt ex ordina-
rio numero Senatorum minoris consilij, nihilomi-
nus semper intersunt minori consilio nomine totius
plebis, ac suum suffragium habent præterquam in
appellationibus: quod si proponatur aliquid quod vi-
deatur ad maius consilium spectare, totam delibera-
tionem illuc referre possunt, funguntur autem suo
munere triennio, & deliguntur ab vtroque consilio
sicut plerique alij Magistratus. Proxima post hos
dignitas est Tribuni ærarij, huic thesauri vr-
bis & omnes eius redditus commissi sunt: hic adiuto-
rem habet scribam vrbis, aut eius vicarium, qui in
codices refert quicquid ipse acceperit aut expende-
rit. Eiusdem est curare publica adificia. Bis quot an-
nis coram minore consilio rationem reddit, ac trien-
nio suo munere fungitur. Scribæ Friburgi sunt qua-
tuor præcipui: Primus qui vrbis scriba nomina-
tur, deinde Senatus scriba, tertius regionis, quar-
tus iudicij. Munus quoque primi apparitoris (Dess
Großweibels) Bernæ & Friburgi honorificum

habetur, hic plerunque Consuli adest, & cum senatus habetur, ianua astat, partes vocat, suffragia numerat, captiuorum curam habet: ac triennium durat eius munus.

Iudiciorum apud Friburgenses haec est ratio. Primum peculiaris confessus iudicum ciuium causas cognoscit & diiudicat, ideoque *Vrbanum iudicium* vocatur, *Das Statgricht*: est praeterea horum iudicum munus ob aliquod crimen captiuos examinare, & questionibus subijcere, ac deinde ad Senatum singula referre. Alter confessus iudicum rusticorum causas iudicat, ac vocatur, *Das Landgricht*. In vno quoque iudicio sunt duo è minori & octo ex maiori consilio: funguntur hi triennio suo munere, et ter singulis septimanis cõueniunt: ab eorum sententia ad minus consilium prouocare licet. Praeterea duodecim iudices ex vtroque consilio delecti, prouocationes praefecturarum quae postremo bello Sabaudico captae sunt, audiunt, & de his pronunciant: conueniunt hi singulis mensibus, et ab eorum sententia non licet prouocare.

Praefecturarum genera apud Friburgios sicut & in alijs vrbibus duo sunt: vnum suburbanum, quod administrant Senatores, qui nihilominus in vrbe habitant & Senatorium munus obeunt, ac quinque nihilor tales praefecturas habent: alterum est vbi praefecti

fecti cum Imperio in praefecturam mittuntur, & illic habitant, huius generis praefecturas quatuordecim habent Friburgij, et praeterea quatuor cum Bernatibus communes. Deliguntur autem praefecti ab utroque consilio postridie diui Ioannis Baptista, & quinquennio praefecturis suis praesunt, sed singulis annis coram minore consilio rationem reddunt. Exercent autem praefecti etiam capitalium criminum iudicia, sed singularum causarum processum, & sententiam Senatui indicant, in cuius arbitrio situm est eandem approbare mutare aut mitigare.

Friburgi vadimonia (trostungen) & quae vernacula lingua vocantur leistungen (hoc nomine & relegatio ad certum tempus significatur, & sumptus qui fiunt non soluta ad diem credita pecunia, quorum haec est ratio, Si debitor ad constitutam diem non soluat, creditor, unum, duos pluresue famulos cum equis in publicum diuersorium mittit, his omnes sumptus debitor suppeditare & soluere cogitur, donec creditori satisfaciat: quidam referunt, hoc ius à Zeringio duce institutum) diligenter obseruantur, & qui haec deseruerint aut violarint, carcere, exilio aut pecunia multantur, atque certus magistratus, quem Ciuium magistrum vocant, haec exigit. Praeterea lite exorta si vadimonium ab aliquo ter postuletur, neque is vadem sistat, relegationis

punitur: eadem pœna manet illos qui pacem sibi in-
dictam & imperatam violarint: item qui absq; ius-
ta causa se alterutri dissidentium partium adiun-
xerint.

Postremo dies illi quibus cum Carolo Burgun-
do Gransonij & Morati pugnatum est, nempe se-
cunda Martij, & 22. Iunij, festi sunt, & quotannis
solenni pompa ac processione omnium ordinum per
urbem celebrantur.

Pag. 175. f. 2. v. ultimo. lege non componitur ex
duabus minoribus communicibus. Pag. 182. f. 2.
v. 21. l. Libertati. 184. f. 2. v. 12. l. Lausanensi. Pag.
192. v. 4. l. à septem pagis. Pag. 195. f. 2. v. 9. Men-
tio hic fit Lustenouij, aiunt autem quidam inferior-
rem & superiorem iurisdictionem huius loci specta-
re ad Austrium principem. Pag. 196. v. 21. l. de-
scripsit. Pag. 197. v. 4. l. Vlrici Philippi: item
v. 12. adde. Familia Baronum ab Altsaxo nostra
memoria ad vnum D. Vlricum Philippum reda-
ta est: verum is eam Dei beneficio denuo auxit,
nam è duabus vxoribus quinque filios iam adultos
& egregie virtutis superstites habet, Albertum,
Ioannem Theobaldum, Ioannem Philip-
pum, Ioannem Christophorum, &
Ioannem Hularicum.



